



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118030**

§. 23. Philippus Augustus contra Joannem Regem arma parat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

militibus destituebatur, cum duo fratres Sæcul. XIII.  
 Manasses Episcopus Aurelianensis & Gui- A.C. 1213.  
 lielmus Episcopus Antisiodorensis oppor-  
 tune supplementa adduxerunt. Nam  
 quia non ignorabant, plerosque Cruci-  
 geros moras trahere, sicque audaciam  
 crevisse Hæreticis, edito sacræ militiæ  
 voto, copiisque, quot poterant, contra-  
 ctis, iter ingressi Carcassonam pervene-  
 runt. Hos igitur cum Comes Montfor-  
 tius cum paucis suis commilitonibus in-  
 genti lætitia excepisset, Amalricum fi-  
 lium suum, natu majorem, in Festo  
 S. Joannis a duobus Episcopis Equitem,  
 singulari pompa adhibita, creari voluit.

§. XXIII.

*Philippus Augustus contra Joannem  
 Regem arma parat.*

Inter hæc Philippus, Rex Franciæ, bel-  
 lum moliebatur in Joannem Angliæ  
 Regem, jubente Papa, & jure ex lata in Matth. Par.  
 eum Principem excommunicationis an. 1213.  
 Censura consequente. Quippe mense  
 Januario hoc anno millesimo ducentesi-  
 mo decimo tertio Stephanus Langtonius  
 Archiepiscopus Cantuariensis, Guiliel-  
 mus Episcopus Londinensis, & Eusta-  
 chius Episcopus Elisiensis, ex Curia Ro-  
 mana reversi, postquam de re tanta in  
 Francia deliberassent, sententiam excom-  
 muni-



Sæcul. XIII.  
A.C. 1213.

municationis, qua Rex Angliæ damnatus fuerat, solemniter promulgaverant, eamque Philippi Regi, Franciæ Episcopis, Clericis, populoque indicaverant. Tum Regi ceterisque omnibus, nomine Pontificis, pro remissione peccatorum suorum injungunt; armati Angliam invaderent, Joannem Regem ex solio pel-lerent, & alium Regem fastigio dignum eveherent. Illico Philippus Rex, qui optatam occasionem jam diu ante captabat, bellum adornat, omnesque Vasa-los suos cum armis & equis Rotomagum intra Octavam Paschæ præsto esse jubet, proditorum poena eis denunciata, qui imperata non fecissent. Naves quoque, quotquot habebat, more militari instruit & annonam comportari curat.

## §. XXIV.

*Philippus Ingeburgem ad suam revocat societatem.*

Rigor. p. 53.  
G. Nang.  
1213.

Expedita jam stabat in anchoris classis, cum Philippus Rex Ingeburgem Reginam, Principem Daniæ, ante annos sexdecim rejectam, in suam revocavit societatem. Rex dudum nullum non moverat lapidem, ut obtineret a Papa, matrimonium suum cum ista Principe nullius valoris & roboris declarari. Sed nihil egerat apud Pontificem, persuasum